



X 150

DISPUTATIO METAPHYSICA  
UNDECIMA

ΩΕΟΛΙΤΖ

UNO TRAN-  
SCENDENTE

Cujus Theses

SUB PRAESIDIO

HENRICI RIXNERI

Phys. & Metaphys. Prof.

Ordinarij

IN IVLEO MAIORI

ad diem Iulij

Publice tuebitur

CHRISTIANUS Galde

Pomeranus, Author.

X 150 (25)



HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

ANNO C I C I C L X I I X .



## ΣΥΝΘΕΩ

### I.

Xpositis hactenus attributis conjunctis, quæ immediate entis conceptum consequuntur, reliqua mediata non adeò comodè explicari poterunt; nisi prius constet de illo simplici, à quo hæc oriuntur & ratione cuius enti competit. Hoc vero VNVM est, quod ex essentia entis promanat, & cum illo sine disjunctione retro commeat. Eius igitur natura nobis prius erit investiganda.

II. Vnum autem hic non sumitur exclusive, quando idem est quod unicum, præter quod non datur aliud tale, quale est ipsum: neque etiam prout importat indivisionem quantitatis & principium numeri est; sed absolute, prout in se ipso unum dicitur.

III. Ratio unius hoc modo accepta rectè ab Aristotele lib. x. Metaph. c. i. in Indivisione ponitur. Id quod etiam patet ex ejus opposito. Nam uni multa opponuntur. Hæc vero in divisione consistere terminus multitudinis ex se ipso prodit. Vnde unum importabit indisionem, quia oppositorum oppositæ sunt differentiæ, uti docet Aristoteles lib. vi. Top. c. ix.

IV. Tripliciter autem aliquid communiter dicitur indivisum (1) à se (2) in se & (3) ab alio. Iam vero ratio formalis unius non potest in hoc consistere quod sit indivisum à se. Talis enim indivisio cum etiam multitudini, u-

nius oppositō communis sit, non nisi improprie indivisio dicatur necesse est.

V. Neque verò aliquid est unum formaliter per hoc, quod sit indivisum ab alio. Præterquam enim, quod hæc indivisio dicat respectum ad aliud, unum autem, ut abso- lute quid per relationem ad aliud definiri non possit; unius natura sufficienter concipi potest sine indivisione ab alio. Id quod patescit vel unico exemplo. Anima ratio- nalis corpori non unita tanquam una concipitur. Non potest autem simul ut indivisa ab alio, v.g. corpore, concipi: quia sic falsus foret conceptus ille, cum ab ipso actu di- visa sit. Et nihil referet ad unitatem animæ etiam in statu coniuncto consideratae, licet illam ut à corpore indivi- sum concipiass.

VI. Relinquitur ergo *Unum esse ens in se indivisum*. Concepta enim indivisione in se, aliquid ut unum concipiatur, eā autem non concepta, neque unum concipies. Nec audiendus esset, qui diceret, indivisionem ab alio si- mul exprimi eā definitio[n]e, quā unum in se indivisum esse asseritur.

VII. Illa indivisio, quæ ratio formalis unius consti- tuitur, non addit aliquid positivum enti, sive secundum rem sive ratione ab ipso ente distinctum; sed est negati- vum quid: quia quavis ratione positivâ sive re sive per in- tellectum ab ente præcisâ, adhuc intelligitur, quicquid est necessarium ad unitatem: sublato autem illo negativo, ens definit esse unum.

VIII. Quando jam quæritur, an illa indivisio sit nega- gatio, an vero privatio? dicimus illam ex natura rei ab- traque præscindere. Et quidem cum rebus simplicibus, quibus omnis divisio repugnat, tribuitur, mera est nega- tio: hisce enim tanquam subjectis formæ hujus (divisionis) non

non capacibus, non potest tribui privatio nisi improprie.  
In rebus vero dividi non repugnantibus indivisio privati-  
onem importat.

**XI.** Per hoc autem, quod indivisionem modo pri-  
vationem, modo negationem esse diximus, non excludi  
volumus materialem unius conceptum, qui utique entitas  
& sic positivum quid est. Nisi enim indivisio in definiti-  
one unius hanc entitatem, tanquam fundamentum suum,  
supponeret, non posset unum positiva entis affectio esse;  
quin & isthoc pacto indivisio, utpote negatio sine funda-  
mento non enti competere.

**X.** Quod si hanc strictam unius acceptiōē paulo  
latius extendas, generaliter aliquid vel per se vel per acci-  
dens unum dici potest. Hujus quippe distinctionis poste-  
rius membrum non comprehenditur sub uno, quatenus  
hoc verum entis attributum est, & per existentiam de ipso  
demonstratur.

**XI.** Unum per accidens, sive secundum quid, illud est,  
quod non in se, sed secundum id, quod ipsi præter essen-  
tiam & integritatem inest, unitatem habet. Per se unum  
est, quod habet solum & præcise ea, quæ ad sui essentiam &  
integritatem intrinsece & per se requiruntur.

**XII.** Potro Aristoteles lib. v. Metaph. c. vi. illa propriè  
per se unum esse dicit quorum una est substantia. Cujus u-  
nitatis quinq; genera recenset (1) continuate. (2) sub-  
iecto seu materia sensibili, eaq; vel proximavel remota (3)  
generi (4) specie & (5) denique numero. Et hic ulti-  
mus modus maxime seu omnino unum dicit. Vnde li-  
quer, quædam diversa ratione posse unum & multa esse.  
Quare etiam Philosophus loco cit. cum reduplicatione, n-  
niverse, inquit, quecumq; non habent divisionem, quatenus non  
habent, eatenus unum sunt.

**F I N I S.**





Farkarte #13

B.I.G.  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres



DISPUTATIO METAPHYSICA  
UNDECIMA  
ΩΕΟΝΤΩΝ  
UNO TRAN-  
SCENDENTE  
Cujus Theses  
Sub PRAESIDIO  
HENRICI RIXNERI  
Phys. & Metaphys. Prof.  
Ordinarij  
IN IVLEO MAIORI  
ad diem Iulij  
Publice tuebitur  
CHRISTIANUS Falde  
Pomeranus, Author.  
HELMESTADII,  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.  
ANNO C I C I C L X I X.

X 150 (25)

